CHRISTOPHO-
RI VARSAVICII EQVITIS
POLONI IN MORTEM MAXI-
MILIANI SECVNDI IMPE-
RATORIS ROMANI
ORATIO.



Ratisponæ M. D. LXXVI.

SACRATISSIMO
ET INVICTISSIMO PRINCIPI RODOLPHO EIVS NOMINIS SECVNdo. Diuina fauente clementia Romano Imperatori electo, Christophorus Varsauicius. S. D.

ORationem, quam in obitum optimi & Sapientissimi patris tui, hoc triduo composui, tibi potissimum dedicandam iudicaui, Rodolphe tot Cæsarum non modo gloriç aut dignitatis hæres verum etiã imitator virtutũ & factorũ. Quam si tu (vt spero) lubens accipies & eiusmodi genere obsequij lætabere, prodibunt indubitato plura, quæ ad te familiãq; tuam ornandam vel maxime pertinebunt. Iam vero Deum precor optimum Maximũ, vt hæc initia gubernationis tuæ ad tuam & Christianæ Reipub: Salutem atq; dignitatem redundare velit. Ratisponæ Idibus Octob. Anno M. D. LXXVI.

Sacræ Romanæ Imperatoriæ Maiest. Vestræ,

Deuotissimus & fidelissimus seruus Varsauicius.

CHRISTOPHORI VARSAVICII EQVITIS POLONI IN MORTEM MAXIMILIANI SECVNDI IMPERATORIS ROMANI ORATIO.

CVM in alijs rebus, ac rerum humanarum vicissitudinibus, commoueri solemus vehementius, quam vel temporis vel hominis vel damni aut incommodi ratio requirit, tum vero optimi cuiusque occasus, ita nos affligit & prosternit, vt quantum memoria fatalis necessitatis, & naturæ legis, doloris ac mœsticię nobis minuit, tantum auget amissi boni illius recordatio. Quanquam enim hominum genus per se ipsum calamitosum atq; miserum, hac vna in re fœlix ac beatum censetur, quod pro mortali conditione vitæ immortalitatem consequitur, & pro tot ærumnis atq; molestijs sempiterno gaudio, ac fœlicitate fruitur, tamē fieri nō potest, quo quisq; in vita melior, aut huic humanæ societati vtilior fuit, vt illius interitus omnibus etiam grauior, atq; iniustior accidere nō videatur. Quo magis, Maximiliani II. Imperatoris Romani immaturam mortē, omnes lugere ac deplorare merito debemus, qui non modo familiam aut posteritatem suam, verum etiam cunctam Christianam Rempub: hoc alieno & periculoso tempore, obitu suo perturbauit. Amisimus enim eum principem in quo summa erant omnia cū firma spe, & præsidio salutis & tranquillitatis publicæ coniuncta atq; copulata. Amisimus imperatorem temperantissimum,

mum, moderatorem moderatiſsimum, parentem patriæ, conſeruatorem Reipub; qui & volebat, & ſciebat, & poterat, rebus Chriſtianorum afflictis ac prope ad ruinam inclinatis ſummo iudicio & dexteritate prouidere. Quocirca cum vt reliqui honores omnes, ita etiam laudationes, quę proprie eorum ſunt qui laudantur, ad eum ornandum atq; celebrandum nunquam non merito conuerti debent, cuperem ſane vt hoc loco voluntati, parem facultatē in dicendo poſsim afferre. Etenim ſi Alexander Magnus, non niſi ab Apelle pingi & à Liſippo fingi voluit, quos ætate ſua duos præſtantiſsimos artifices, eius generis iudicabat, quam raro & admirabili ingenio, quam immenſa dicendi copia, quanta deniq; eloquentia oportet eſſe eum, qui Maximiliani Cæſaris, generis claritatem & antiquitatem, religionis conſtantiam, virtutem, probitatem, & magnitudinē animi pro eo ac par eſt laudare & celebrare velit? Ac genus quidem illud cum primo loco poni debeat, & cum Inclita Auſtriæ familia, multorum opinione inde ab Hercule aut à Priamo ortum ducat, quæ poteſt ipſius laudibus par oratio inueniri? Quis tot ac tantorum Regum & Imperatorum qui ex hac progenie tanquam ex equo Troiano prodierunt, virtutes atq; res pręclare geſtas, valebit non modo complecti orando, ſed etiam percenſere numerando? Quis deniq; Rodolphi magnanimitatem, Alberti primi fœlicitatem, ſecundi ſapientiam, Friderici manſuetudinem, Maximiliani fortitudinem, Caroli victorias, Ferdinandi patris iſtius pietatem non dicam laudare ſed enarrare queat? vt minime mirum videri debeat, ſi tot clariſsimis principibus & imperatoribus ortus, ipſe etiam præclarus princeps ac Imperator fuerit is, de quo verba facturi & quem laudaturi ſumus, Qui vt primum ex ephœbis exceſsit, natus

Viennæ

Viennæ Ferdinando patre, & Anna matre, Vladislai Regis Vngariæ filia, quantas statim fruges produxit indolis & ingenij sui singularis? Nam cum Carolum V patruum suum tanquam domesticum exemplum, ad imitandum propositũ haberet, & Maximiliani Attaui cuius nomen referebat, fortitudinem adæquare vellet, facile est consecutus, vt non modo eorum quibus cum vixerat gloriam, verum etiam exterorum memoriam, & celebritatẽ superaret. Quod cũ in multis alijs rebus ac occasionibus, tum in illo etiam Smalcaldico bello videre licuit, in quo Caroli V. castra secutus equitum duorum millium præfectum cum se ille præbuisset, tam vbiq; intrepidus animus & militaris vigor in eo aparuit, vt Carolus V. qui Caroli Magni re & nomine successor fuit, ipsius virtutem & elationem animi admiratus, Mariæ vnicæ suæ filiæ huius lectissimæ matronæ connubio dignissimum eum iudicauerit, & totius Hispaniæ ac occidentalis illius quæ dicitur Indiæ gubernationem illi commiserit. In quam quidem Hispaniam ipse adueniens, toto eo biennio quo ibi fuerat, tam præclare se gessit, & tam omnibus gratus atq; amabilis fuit vt nesciam plures ne aduentus recreasse aut discescus perturbasse ipsius videatur. Ex Hispania autem vt venit, Genuam Ligurum Metropolim non sine periculo mari vectus, quo tempore in eum morbum, ac cordis palpitationem, quæ ipsi mortem attulit, primûm inciderat, quas obsecro ab vniuersa Italia humanitas significationes aut congratulationes non habuit? aut qualem tum demum cum in Germaniã reuerteretur parentis, fratrum, & propinquorum suorum læticiam, omnium denique Germanorum beneuolentiam erga se non prespexit? Iam tum haud dubie non difficilis coniectura fuit, quis e-

rat non modo Caroli Cęſaris ſed etiam Ferdinandi Regis ſucceſſor in imperio euaſurus. Nemo enim fere Germanorum Ducum aut Electorum dici poterat, qui ſi ad nouã Cæſaris electionem veniebatur, omnibus alijs domus Auſtriacæ principibus Maximilianum tum Archiducem Auſtriæ, præferendum non arbitraretur. Qui quaquam religionis auitæ & orthodoxæ obſeruantiſsimus ſemper fuit, nec ad vllas peruerſarum opinionum vias deflectere voluit, tamen neſcio quomodo etiam nec ab ijs qui huius ſeculi errore alio declinauerant tantopere abhorrebat, & miſeratione quam odio digniores iudicabat. Qua temperatione moderationeq; animi, non modo incredibilem omnium, beneuolentiam & ſummam prudentiæ laudem ſibi conciliauerat, ſed etiam certam quandam viam & rationem ingreſſus eſſe videbatur, ad ſaniorẽ mentem, religioniſque vnitatem homines reducendi. Multi enim quos nec vis arcere, neque argumenta expugnare queunt, officio & humanitate flectuntur. Vt igitur primũ Carolus V. patruus ipſius diem ſuum obijt cuius res geſte (vt breuiter dicam) ijſdem quibus ſolis curſus regionibus, atq; terminis continentur, Ferdinandus pater in imperium ſucceſsit, quo adhuc viuente, hic noſter Maximilianus rara fœlicitate, & mira celeritate tria maxima diademata regnorum & Imperij aſſecutus eſt, Regni videlicet Bohemiæ primum, Secundum Romani Imperij, tertium Vngariæ, hoc Poſſonij, Bohomicum Pragæ, illud Francforti. Omnia autem non eblanditis ſed enucleatis ſuffragijs, & ſumma non modo ordinum verum etiam hominum conſenſione accedente, vt difficile iudicares, vtrum ex tot regnis ſplendoris illi, an vero eo electo regnis ipſis gloriæ plus acceſſerit. Et nihil planè, quamuis ſeculi iſtius liuor & vindictæ cupiditas maxima exiſtat, Ca-

roli V.

roli V. patrui in duos illos Germaniæ regulos iusta animaduersio ei nocuit. Nihil á Ferdinando patre de paucis nonnullis rebellibus Bohemis sumptum supplium obstaculo aut impedimento fuit, nihil deniq; illa vox & peruersa opinio quæ familiæ Austriacæ continuata stirpe virtutis diuturnæ succesioni in imperio inuidebat, facessere negocij potuit, vt ornamentum dignitatis quam detrimentum libertatis Germanicæ ipsius electio non potius iudicaretur. Iam vero postquam patre mortuo, administrationem Imperij, nodosam illam quidem & intricatam est ingressus, an quo genere & semine ortus esset, & quãtam virtutis expectationem sustineret, & in quanta deniq; authoritate apud omnes haberetur, non protinus apparuit? Narrant enim Solijmannum illum Turcarum tyrannum superbissimum, qui numerum annorum suorum triumphis & victorijs pene æquauerat, fortunæ ac prudentiæ istius opinione, pacis colendæ ita cupidum cum eo fuisse, vt mortuo Ferdinando Cæsare ad eum ablegare nuncium eius rei causa minime dubitauerit. Qui nostro obuiam factus, & ex itinere reuersus, hac tam nimia nostrorum festinatione tam insolentem tyrrannum reddidit, vt non multo post ingenti exercitu Vngariam Solijmãnus petere, ac Viennam denuo oppugnatione tentare voluerit. Ad cuius ille aduentantis famam, Conuentu Augustæ coacto, tantas non modo ex Germania sed etiam ex Italia atq; ex Hispania suppetias contra eũ habuit, vt non tantum Pannoniç auxilio, verum etiam Turcarum viribus excidio esse potuisse videretur. Quo magis non defuerunt ij qui tanto & tam valido exercitu coadunato occasionem rei bene gerendæ, & profligandi Turcæ amisisse eum dictitabant. Sed tamen qui sine perturbatione animi sine odio & cupiditate de ipsius hoc facto & instituto iu-

tuto iudicabant, quiuè vtriuſq; exercitus vires, naturam
diſciplinam, conſuetudinem, omnia deniq; rerum ac tem-
porum momenta diligentius expendebant, illi profecto
non minus caſu fœliciter, quam conſilio prudenter eiuſ-
modi deliberationes ipſius, terminatas fuiſſe cenſuerunt.
Etenim vbi de tot regnorum ac prouintiarum ſalute agi-
tur, accurate & diligenter ſingula conſideranda & ponde-
randa ſunt, antequam vnius diei prælio ſummam rerum
committas, quod pugnam vnius hominis vox, ſolis radi-
us vel caligo, locus incommodus vel decliuus, vno mo-
mento ſæpe perturbat, & quod prudens Imperator non
tam pro præda aut etiam pro inani gloria quam pro ſalu-
te & pro imperio, nec tam voluntate quam extrema ne-
ceſsitate vniuerſo exercitu confligere ac pugnare debet.
Quod ille proſpiciens, & exercitum illum nō tam ex mer-
cenario milite quam ex flore ipſo nobilitatis ſuæ collec-
tum habens rationi atque tempori obediendū eſſe, quam
vocibus imperiorum potius arbitrabatur, & cum à ripa
Danubij longius progredi propter exercitus commea-
tum qui frigore etiam premebatur ratio militiæ fore in-
conſultiſsimū oſtenderet, meliori fortunę ſe ſuoſq; ſeruare
quā dubio & cōmuni Martis euentu, de imperio certare,
cū hoſte crudeliſsimo maluit. Turpis ſiquidē audacia eſt
quam interitus ſequitur. Ad eū modum ille Segetū quidē,
& Guilam caſtra in Vngaria amiſit. Sed nihilominus ta-
men Turcicam rabiem ita fregit, vt Solijmanni morte &
magnæ partis exercitus illius internetione eam iacturam
compenſaſſe videretur. Iam vero cum ad veterum tumul-
tuum & factionum ſemina in Germania excitanda, ali-
quorum ſtudia & conatus inclinarent, per Auguſtū Sa-
xoniæ electorem opulentiſsimum & animoſiſsimū Du-
cem, Gotta expugnata, & de paucis Imperij rebellibus
ſumpto

ſumpto ſupplicio, ita repreſsit, ac omnem belli facem ſu-
ſtulit, vt difficilè dictu ſit, facti ne celeritatem, an conſilij
dexteritatem, an vero moderationem animi ipſius in vi-
ctoria magis prædicare debeam. Quo eodẽ propemodũ
tempore, Sigiſmundus Auguſtus Rex Poloniæ, Catari-
nam Auſtriacam coniugem ſuam, ipſius autem ſororem
fœminam omni poſteritatis memoria dignisſimam haud
ſane inuitam ad eum remiſerat. In quo etiam ille caſu quã-
ta prudentia aut patientia vſus fuerit, res demõſtrat, cum
illud vicini & affinis regis factum, diſsimulanter ferendũ,
& quieti ac tranquillitati publicæ donandum, quam ali-
qua ſeueritate aut violentia perſequendum potius arbi-
traretur, haud ſanè alia ſpe & opinione ductus, niſi quod
Poloni hanc tantam lenitatem & manſuetudinem illius
(vt debebant) admirati, Sigiſmundo Auguſto eorum re-
ge, ſine prole moriente, aliquem ex ipſius filijs eligere de-
buiſſent. Qui cum tandem anno ætatis ſuæ tertio & quin-
quageſimo Cinſchini obijſſet, & res ad interregnum in
Polonia deueniſſet, miſit è veſtigio ad regni illius ordines
legatos præcipuæ authoritatis viros, Guihelmum Ro-
ſembergium & Vratislaum Perneſtanum, vtrumq; & ge-
neris claritate, & rerum experientia & facundia maxima
præditum, per quos vt Erneſtum Archiducem Auſtriæ
in regem eligerent ab eis poſtulabat, oblatis cum eo mul-
tis & ampliſsimis illi Reipub: commodis & emolumen-
tis. Verum cum poſtea in Henricum tum Andium du-
cem, Caroli non Regis Galliarum fratrem, electio illa
cecidiſſet, tantum abfuit, vt eo offenderetur, vt etiam Sta-
nislao Slupetio Lublinenſi Caſtellano nullam non bene-
uolentiæ & humanitatis ſuæ ſignificationem declaraſſe
videretur, qui partim officij, & ordines excuſandi cauſa,
partim vero liberum per Germaniam tranſitum Polono-

B rum lega-

rum legatis in Gallias ituris petendi ad eũ aduenerat. Et poterat ille certè vel statim Sigismũdo Augusto mortuo, vel etiam post Henrici electionẽ ipsam Poloniam ingredi, & quod alia quauis via vix obtẽturus esse iudicabatur vi, & armis experiri. Sed cum pro sua maxima prudentia, longè prospiceret, quid eo non modo Poloniæ regno, tanquam quodam Europæ propugnaculo, verum etiam vniuersæ Christianæ Reipub: incommodare posset abstinendum á cæca & præcipiti cupiditate dominandi, quam tanquillitatem publicam perturbandam potius existimauit, propter memoriam nominis sui sempiternam. Siquidem cum inuidiosis opibus, & cum lubrica libidine regnandi immortalitas gloriæ pessime commutatur. Vt ergo Polonis eam regum eligẽdorum libertatem, inuidere aut eripere nunquam voluit: Sic & regem eorum electum per Germaniam transire liberè permisit, nullo non adhibito genere hospitalitatis & humanitatis. Qui cum non multis postea interiectis mensibus Galliam repeteret, fraterna mort e & extrema illius regni necessitate euocatus, quàm splendidè quæso atq; honorifice Viennæ ab eo exceptus est? & quanta fidei constantia, perpetuo cultus atq; obseruatus? Mirum erat multis, Galliæ & Poloniæ Regem ad Cæsarem Maximilianum Viennam inopinato aduenisse. Sed multo admirabilius tam mirificè recreatum, & tractatum discessisse. Repetebantur veteres, Regum Gallorum cum familia Austriaca simultates, vrbes Romano imperio ab eis ademptæ commemorabantur, ipsa deniq; in petitione Regni Archiducis Ernesti repulsa notabatur, sed quanto hæc omnia diligentius examinabantur, aut quanto multorum sermonibus crebrius vsurpabantur, tanto & imperatorem in eo hospite honorificè tractando, alacriorem, & in fide seruata gloriosiorem faciebant,

ciebant, qui nec humanitatis ſuę eſſe putauit, eum violare,
quem iure hoſpitij ſuſcepiſſet, nec vllos contractus ratos,
fieri poſſe, quos neceſsitas expreſsiſſet. Ego vero videa-
mus an vel eo tempore diſsimilis ſui fuerit, cum Poloni
ad noui regis creationem bis indictis comitijs tandem
geminam electionem ediderunt. Nemo ſanè ignorat, quā
maxima ſolennitate, & quam legitima poteſtate, Cæſar
Maximilianus, ab Archiepiſcopo Greſnenſi in Regē Po-
loniæ appellatus, idemq; à ſupremo Regni Marſalco re-
nunciatus fuit, & quanta eorum qui eum elegerant con-
ſenſione expetitus. At enim nihilo plus arridentis fortunæ
beneficio ille elatus, in tam ancipiti, & vario caſu, tanta mo
deratione animi prudentiaq; vtebatur, vt in eis qui ab eo
diſſentiebant ad cōcordiam reducendis nihil non tentan-
dum quā in Poloniam proficiſcendum prius arbitraretur.
Qua in cogitatione cū dies ac noctes verſaretur, & ſalutē
ac tranquillitatē publicam omnibus ſuis priuatis commo-
dis & vtilitatibus anteferret, occaſionem, quæ adipiſcendi
regni tum videbatur eſſe opportunior neglexit, & amiſit.
Quanquam ſi diuturniorem vitam fata inuidere illi non
voluiſſent, quid adhuc facturus fuiſſet incertum fuerat, ma
ximè quod indictis Ratiſponæ imperij comitijs, in qui-
bus vitam cum morte commutauit, tanta ab vniuerſis ſta-
tibus, & ordinibus Germaniæ auxilia, & pecunias impe-
trauit, quantas haud ſcio ſi alicui imperatori Romano ab
ijſdem ſtatibus & ordinibus datas atq; cōceſſas fuiſſe me-
morant, quibus ille non in viſcera Chriſtianitatis ſæuien-
do, aut væſanam ambitionem proſequendo ſed ab immi-
nenti interitu atq; ſeruitute Turcica orbem Chriſtianum
defendendo, vti cogitabat. Ex quibus ſane conſilijs, mori-
bus, & actionibus ipſius, facile depræhendere licet, quis
& quantus Imperator ipſe fuerit, tametſi ſunt adhuc alia

penè maiora,quibus illi raram,& admirabilem prudenti-
am, fœlicitatem, & dexteritatē suam, omniū deniq; bene-
uolentiam erga se orbi terrarū declarauit. Quis enim non
admiretur, quod quemadmodū ipse in locum patris pas-
sim & vbiq; suffectus est: ita & filium suum summæ vir-
tutis & expectationis principem, omnium earundem di-
gnitarum, & regnorum successorem constituit? Et cum
Germania ad res innouandas (vt plærumq; fit(prona esse
soleat,cum Hispania externorum principum dominatum
difficulter ferat,hanc quoad illi cum imperio præfuit,tan-
topere eum coluisse, Germàniam vero eo viuente semper
pecatissimā fuisse,à quo tandē prudentiæ & virtutis opus
id nō maximū censeatur? nihil est enim quàm bene impe-
rare difficilius,etiāsi imperandi copia à permultis expeta-
tur. Iam si reliquas animi,& corporis ipsius dotes,enar-
rare siue prædicare quis velit, Nestoreo quod Poëtæ
aiunt aut Vlysseo flumine eloquentiæ an non indigeat?
Nam præter quod à natura ita formatus fuit,vt vel aspec-
tu solo ab ijs etiam qui eū antea nunquam nouerant sum-
mus Monarcha iudicaretur,tot itam ornamenta animi &
tam mirificam gratiam in dicendo habuit,vt quod Home
rus de Græcorum illo facundissimo dicere solitus erat,
quod ex ipsius ore melle dulcior fluxit oratio,hoc idem &
de Maximiliano nostro iure ac merito dicamus. Quis e-
nim ab eo mæstus? Quis non recreatus vnquam disces-
sit? Quis petiuit qui si non illud quod peteret impetrare,
tamen summam beneuolentiæ significationem referre ab
eo non videretur? Magna sunt beneficentiæ ac liberalita-
tis illius erga multos documenta, grata memoria affabi-
litatis, signa virtutis, cum ille in audiendis vel infimorum
precibus,aut querelis nunquam defatigari, aut pati satie-
tatem putaretur, sed cum Germano Germanicè,cum Hi-
spano

ſpano Hiſpanicé,cum Italo Italicê, cum Gallo Gallicè,cũ Bohemo Bohemice, Latine deniq; cum omnibus ad admirationem loqueretur. Nec eſſet vllum ſcientiæ genus, aut doctrinæ quod illũ effugeret. Nota ei fuit inde à pueritia rei militaris ſcientia, erat non contemnenda & raro alioqui in præaltis principum domibus habitari ſolita literarum cognitio,artes poſtremo vniuerſæ belli, & pacis quibus ille non ad oſtentationem,ſed ad neceſsitatem, nõ ad priuatum commodum,ſed ad publicam vtilitatem vtebatur. Quid ego de pietate in Deum? quid de religionis obſeruantia ipſius loquar? quæ cum aliàs admirabilis ſemper in eo fuerit,tum vero in hac ipſa extremitate vitæ adeo enituit, vt ille rerum omnium humanarũ cura poſtpoſita nihil aliud,præter diuina, & cœleſtia meditaretur, & nõ tam de corporis quam de animæ ſalute amplius cogitaret. Qua mente præditus,& deſiderio inflammatus, poſtquam nonum & quadrageſimum annum paucos ante dies exegiſſet, die Maximiliano Sacro, eoque ipſo quo tanta & tam longa imperij Comitia pro ipſius voto, & publica neceſsitate claudebantur, vitã quoq; clauſit, & ea demũ hora,qua Rodolphus filius ordinibus imperij gratias egit,ad deum preces fundendo & gratias agendo animam ille exhalauit pro quo ipſo cumulatur nunc ipſius acta vita immortalitate & beatitudine ſempiterna. Quæ cùm ita ſint,mortem quidem eius quę naturę debita & neceſsitati reddita eſt non miremur,ſed tali ac tanto principe & tam alieno,ac periculoſo tempore Chriſtianam Rempub: eſſe orbatã,vere & ex animo cuncti doleamus. Quis enim Maximiliano II. Imperatore Romano poſt hominũ memoriam melior? Quis ſapientior? Quis ad Rempub: gubernãdam aptior, aut exercitatior dici aut inueniri potuit? Quis excellentior cognitione linguarũ, experientia

rerum,

eorum, cura cogitatione, & doctrina? Ille quod nec Rodolphus magnitudine animi, neq; Albertus fortuna, neq; Maximilianus armis, neq; Carolus potentia potuit, sapientia, & dexteritate sua continuauit, ac effecit. Illius beneficio Germania valet opibus, pace fruitur Vngaria, fœlix est beata Boëmia, Ille iudex regum, ille pacificator gentiũ. Ille moderator nationum fuit. Illius industria hostes infirmabantur, amici augebãtur, subditi in officio tenebantur. Ille optimum successorem imperij, ille viuam imaginem sui, ille sobolem pręstantissimam, ille normam gubernandi moderatissimam reliquit, ac dedit. Ille verè author legum sanctissimarum, ille cultor disciplinarum, ille mœcenas scientiarum dicebatur. Ille exemplum castitatis egregiæ, ille custos cõtinentiæ, ille parens patriæ, ille conseruator Reipub: fuit. Iam vero proh dolor tantus vir, tantus Monarcha, tantus imperator iacet. Ad quem nunc confugiemus? cũ quo tam familiariter colloquemur? Cuius ope cuius auxilio cuius prudentia innitemur? Nunc Nunc demum videre licet quam stulta & fragilis sit cõditio rerum humanarum, quam caduca & momentanea fortuna, quantis malorum telis vita nostra exposita, quã misera, quã breuis, quam incerta. Quo euanuisti pater? Quo raptus es Imperator? Hem quò spes fallaces, quò cogitationes nr̃æ abierunt? O natura nouerca, quę ceruis, coruis serpentibus, alijsq; animantibus vitam dedisti longissimã, cur exiguũ curriculũ hominibus circũscripsisti? sed querelæ ne tum quidẽ gratę quando inutiles fiunt, et si creditores iure suo repetunt, q mutuò dederunt, quid nos etiam animam creatori suo non demus, quam ab eo accepimus? Vt igitur eũ qui obijt nihil minus quam mortem extimuisse scimus: Sic vitam etiam ipsius laudandã & virtutẽ imitandam, quam mortem lugendam potius arbitremur.

FINIS.

900 –